



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

23. Dies Augusti. Si non places, non placas. Bernardus Epist. 41.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Augustus.

Tessera.

661

oculis, merentur Christi flagello, è Templis, ut canes ejici; imò & in tartara conjici. De Christo piè Poeta:

*In Templo gentes, Christus percussit ementes.*

23. DIES AUGUSTI.

Si non places; non placas. *Bernardus Epist. 41.*

Sacrificiū I.

Missa est propitiatorium.

A

Crurus de illo sacrificio, quod cæterarum omniū hostiarum amplitudinem, magnitudine suâ præcellit, & præ-

stabili dignitate obruit, præmitto illud breve, sed nervosum D. Bernardi pronuntiatum: frustra sacerdotem illam infinities adorandam offerre Deo in Ara pro se victimam; nisi, qui offert, Deo sit amicus: Quia si non places, non placas; nec erit hostia sacerdotis acceptabilis ex opere operantis, nisi qui offert, Deo sit acceptus. Quod si offerens placeat, tum demum offensissimum, unico hoc sacrificio facile placabit: quia in hoc sacrificio reperiuntur omnes excellentissimæ rationes Dei placandi. Hic enim holocaustum, hic hostia pacifica; hic propitiatorium sacrificium continetur. In hujus oblatione victimæ, & maculæ exuruntur ex animo, & furva candent, & sæda nitent, & obscura clarent. Nec herba Borith tantam vim habet, nec fullonum creta, nec Mosaica hyssopus tincta purpureo sanguine, nec fanorum aspergilla, nec balnea populorum ad inducendam animi munditiam. De eo D. Paulus:

(a) *Unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Unam vocat oblationem, ut apicem omnium

T r 3

facri-

(a) *Heb. 18.*



sacrificiorum, ut Religionis florem, ut votorum colophonem, ut perfectam suis numeris Divini cultus rationem; quæ consummavit in æternum sanctificatos, quæ, nimirum valet in sæculorum omnium continuationem, ad sanctitatem animorum, ad expiationem mundi, ad gloriæ januam patefaciendam.

II. Sed proclivè fuerit intelligere dignitatem hujus sacrificii, ex ejusdem effectibus. Primò, sacrificium Missæ est propitiatorium: quia per nullum opus possumus sic Deo satisfacere, si ve pro culpa, si ve pro pœna, uti per hoc sacrificium. Illud imprimis exploratum est, nil tantum habere roboris, tantumque ponderis ad aliquid impetrandum, aut ad iratum Principem placandum, quàm aliquod magni pretii donum. Nunc autem, quod donum Divina vel Bonitas melius, vel Sapiencia gratius, vel Omnipotentia pretiosius condere possit, quàm Eucharisticum donum? Illud porrò, Æterno Patri offert, & per illud veniam precatur. Nunc autem, præterquam, quod ipse gravissimè nobis offensus sit, qui pro nobis precatur, tanta est nostra in Deum injuria, si esset homo aliquis præditus infinitâ gratiâ, imò, & si innumeri mundi conderentur pleni hujusmodi hominibus, qui gratiâ pollerent infinitâ; tamen omnes illi, quidquid agerent, vel paterentur æternitate totâ, pro unica noxa satisfacere nequirent: quia bonitas, dignitasque omnium istarum actionum, aut pœnarum æquare non possunt malitiam, indignitatemque ejusmodi noxæ: cum illa metienda sit ex dignitate personarum satisfaciendum; hæc autem, ex dignitate personæ offensa, Di-



vinæ scilicet. Itaque, plus Christo debemus pro unico Missæ sacrificio, quàm omnibus Sanctis debere possimus: imò, multò amplius, quàm hominibus istis gratiâ immensâ pollentibus deberemus, licet ab æterno, omnia inferiorum supplicia, nostrâ causâ essent perpessi.

III. Quis igitur assequi potest, quas gratias Deo debemus, non jam pro uno sacrificio, sed pro innumeris, in quibus singulis, omnia Christus merita, Patri, nobis placando, repræsentat? præsertim, cùm meritum unicæ actionis Christi, dignitate suâ, omnium, quæ fieri possunt, criminum indignitatem, malitiamque adæquet. Etenim, quælibet ejus actio, etsi per se, & naturâ suâ humilis: ut edere, dormire, & id genus aliarum, ob dignitatem personæ, à qua proficiscebantur, infinitam, & ipsa dignitatis, ac meriti erat infiniti. Cùm igitur, malitia peccati mortalis, propriè infinita non sit; (quod patet inde, quo unum altero majus, minusve detur peccatum mortale,) dignitas autem, cujusque actionis Christi profus infinita sit, consequitur, unicâ ipsius, vel minimâ actione pro peccatis omnibus satisfieri ex æquo potuisse. Quare, cùm Christus non unius modò, sed omnium actionum, totiusque vitæ, ac mortis merita ad conversationem salutis humanæ retulerit, & nunc in quovis sacrificio eundem in finem æterno Patri offerat, profus est ingens pignus illud Eucharistici amoris. Cùm enim, unica ejus actio, omnium, quæ patrari, imò, quæ fingi possunt, criminum malitiam, suâ sanctitate exsuperet, ipse, pro mei unius



664. *Christiani Militis.* Augustus,  
criminibus, omnium actionum suarum merita in  
lytrum æterno Patri offert. Quale illud est? An non  
tibi supra modum singulos nos amare videtur? quos  
tanti amat, quanti emeret mundos innumeros? ne-  
que solum emat, sed per singula sacrificia pretium  
offerat. Jam verò, sic agit, ut nos multò pluris face-  
re videatur, quàm se, & omnia sua, cum & se, & sua  
omnia, non semel, non uno tempore, sed tot in Alta-  
ribus, & per tot Sacerdotes, in lytrum singulorum  
tradat, & usque ad mundi finem sit traditurus:

*Christus dum Patri se tradit, crimina radit.*

#### 24. DIES AUGUSTI.

In æternum benedicens æterno; illi necesse est, ma-  
neat coæternus. *S. Hilarius in Psalm. 144.*

Sacrifi- I.  
cium est  
Latreuti-  
cum.

**D**, Hilarius invitans nos ad pi-  
hilaria in cœlis, vult, ut illis  
fruemur, nos hîc benedicere,  
sive quod idem, perpetuo lau-  
dare Deum: In æternum, inquit, benedicamus Æter-  
num; quia in æternum benedicens Æterno; illi necesse  
est, maneat coæternus. Finis præcipuus, qui intendi-  
tur in Sacrificio, est; ut illo Divinam excellentiam,  
supremumque mortis, ac vitæ Dominum in Deo  
testemur: in qua protestatione inest supremus cul-  
tus, Soli Deo debitus; cui attributa est Nomencla-  
tio *Latreutici*. Quantum laborârunt viri Apostoli-  
ci, ut Dei gloriam propagarent, Evangelicam do-  
ctrinam per totum orbem promulgando, & tot  
hominum myriades ad Christi Fidem converten-  
do. Quantum gloriaretur, qui omnes in Anglia,  
Scotia, Suecia Hæreticos; omnes per totam Græ-  
ciam,